





t. v.



PROBATIONE

TERTIAE SUPPLEMENTI
RELIQ. LAQUEO

IN HENRICO COCCIO

DANIEL SCHULZ



DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA ⁵
DE
NON-PRÆSCRIBIBILIBVS

QVAM
DIVINA ANNVENTE GRATIA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIAEI, CLIVIAE AC MONTIVM, ANGARIAE VVESTPHALIAEQVE ET RELIOVA

Ex decreto & Autoritate Illustris Jctorum ordinis

IN HAC ALMA SALANA

PRÆSIDE

CHRISTIANO VVILDVOGELIO

JCTO, CONSVMMATISSIMO,

CONSVLIARIO SAXO - ISENACENSI INTIMO, CVRIA PROVIN-

CIALIS ET SCABINATVS NEC NON FACVLT. JVRID. AS-

SESSORE GRAVISSIMO, JVRIS PVBL. FEVD. ITEMQVE

COD. ET NOV. PROFESSORE ORD.

H. T. PRORECTORE MAGNIFICO

Patrono ac Promotore submisſe venerando

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure honores capeſſendi
placida eruditorum diſquiſitioni
ſubmittit

D. APR. A. C. M DCC XI

FRIEDR. PAVL. VVACHLER. Gothan.

JENAE, TYPIS MVLLERIANIS.

DISPUTATIO MATHEMATICA JURIDICA
NON-PROFESSORI
RUBRICATA

WILHELMO FERRICO
DUCE SARDINIAE

CIRCA QUAESTIONEM
DE

PATRIBUS ET FUNDAMENTIS
PHILOSOPHIAE

FRIEDR. PAUL. WACHLER. GOTT.
D. APRIL. 1781. MDCCLXXXI.

LEIPZIG, TYPIS MVL. ERHARTI.





CVM DEO.

Th. I.



Um maximum reipublicæ bonum sit, pacatam, atque quietam illam seruari; idcirco à legislatoribus prospiciendum erat, ne dominia rerum essent in incerto. *pr. F. de Usucap. & long. temp. præscript., & l. 1. ff. de usurpat. & Usucap.*, per hanc enim incertitudinem multiplicantur lites, tranquillitati publicæ maximè adversantes, antiquioribus dominis post plurima temporum spatia res suas requirentibus; Coarctanda etiam erat desidia actiones & jura sua negligentium, hinc ratio ipsa inter omnes gentes constituit modum terminandi lites, usucapionem scilicet atque præscriptionem. *Struv. in S. F. C. Exerc. 43.*

A

ib. 2.

th. 2. non obstante §. fin. *J. de usu & habitat, juncto princ. J. de Usucap. & long. temp. præscript.* Verùm cum modus iste jure gentium nimis esset indeterminatus, specialem illi dedit formam jus civile & canonicum, atque plurima circa eum definiuerunt, dilatando vel coangustando tempora, quibus præscriptio perficienda esset, quasdam vero res à præscriptione & usucapione ob singularem rationem penitus eximendo. Mei igitur nunc instituti est agere non de usucapione & præscriptione in genere, sed de rebus ab ea exemptis.

Th. II.

Sunt autem res à præscriptione exemptæ vel corporales, vel incorporales i. e. jura, vel facta, vel denique delicta. Illæ quidem vel ex natura sua, quia profus non sunt in commercio, vel ob vitium rei adhærens, vel quasi vitium, vel quia possessio ad præscriptionem non est qualificata. Hæ, scilicet res incorporales, tales sunt, quia earum possessio deficit, utpote quia nondum existunt, vel quia à certis personis possideri nequeunt, nec earum commercio sunt subjectæ.

Th. III.

Res corporales natura sua à præscriptione exemptas exhibet §. 1. *J. de Usucap. & long. temp. præscr.*

præscr. quales sunt, liber homo, res sacræ, quæ ad cultum divinum sunt dicatæ, ut vestimenta sacræ, calices, cruces, loca religiosa, quæ quodammodo in solius Dei jure ac potestate sunt. Vinnius *ad §. 7. J. de usucap. & long. temp. præscr.*, & ita nullius, ut ne quidem acquiri à quoquam possint, nec in dominio ecclésiæ esse dicantur: ratio horum est, quia præscriptiones inventæ sunt, ut jus aliquod præexistens, ab uno transferatur in alium, non ut jus novum inducatur, *Gloss. fin. in cap. si diligenti 17. X. de præscript.* sive, quod idem est, præscriptiones sunt inductæ, ut aliorum jura & dominia, quæ in rebus habentur, mediante præscriptione acquirantur, & in præscribentem transferantur. *L. 20. C. de pactis.* sed nullum jus habet quisquam in hujusmodi rebus sacræ, cum quodammodo sint in patrimonio Dei, ut dictum est, nequæ in libero homine; imò nec quisquam in seipsum habet jus, cum nemo sit dominus suorum membrorum *L. 13. pr. ff. ad Legem Aquil.*, ideo nec tanto tempore, cujus initii memoria non extat, præscribi possunt. Item, quia tales res à nemine possideri possunt, sine possessione autem præscriptio non procedit, *cap. 3. de reg. Jur. in sexto.*

Res vitio reali affectæ jure civili usucapi prohibentur. Hinc res furtivæ & vi possessæ usucapioni non sunt subjectæ, §. 2. *J. de usucap. & longtemp. prescript.* & l. 4. §. 6. *ff. de usurpat. & usucap.* adeò, ut non tantùm ipse fur vel violentus possessor eam usucapere non possit, cum in ejus persona impediatur usucapio, non quidem ea ratione, quod res sit vitiosa, verum quia est in mala fide; sed nec ullus alius bonæ fidei possessor, qui justo titulo eam acquisivit. Unde in rebus mobilibus usucapio non facile procedit: nam eo ipso, quod quis sciens rem alienam vendit, vel alio modo alienat, furtum ejus committit. *d. §. 2. J. per quod res vitio afficitur reali ex legis dispositione*, quod semel contractum cum ipsa re transit ad quemvis etiam bonæ fidei possessorem, quemadmodum lepra transit eum leproso, ut DDres loqui solent. Idem dicendum de vitio violentiæ: nec aliud statuendum de servo fugitivo. §. 1. *J. de usucapion. & l. 1. C. de servis fugitivo.* Ratio hæc est, quod servus, quamdiu in fuga est, furtum sui ipsius faciat, ut sic usucapio ejus, quamdiu in fuga est, & antequam in potestatem domini revertitur, non procedat. Ad has

has res vitiosas referendæ sunt res contra legem Juliam repetundarum præfidi vel alii magistratui datæ, sc. ut officium suum faciat vel non faciat, *L. quod contra. pen. ff. ad Leg. Jul. repetund.* quod tamen ita accipiendum censeo, si vitium non fuerit purgatum, secundum *ib. 9. infr.*

Th. V.

De partu ancillæ furtivæ, an usucapi possit? difficultates oriuntur. Hoc tamen certum est, quod, si ancilla prægnans surrepta fuerit, partus censeatur furtivus, cum ancillam contrectans furandi animo, censeatur omnes partes ancillæ contrectare, atque ita & partum, qui viscerum maternorum est pars *l. 1. §. 1. ff. de ventre inspic.* Vitiosus itaque etiam erit partus, si ve apud furem editus aut conceptus, si ve apud eundem conceptus & apud bonæ fidei possessorem editus fuerit. *l. 48. §. 5. ff. de furtis.* Fur enim non restituendo rem furto ablatam, continuatum facit furtum. Si apud ipsius furis heredem, licet furti ignarum, sit conceptus vel editus, idem juris est, quia ipse est vitiorum defuncti successor. *l. 4. §. 15. ff. de usurp. & usucap.* ejusque personam repræsentat. Aliud est, si apud bonæ fidei possessorem sit conceptus partus & editus;

A 3

editus; neque enim potest dici vitiosus, quia tempore contrectationis non fuit portio viscerum maternorum, ut sic ejus procedat usucapio, *l. 33. in pr. ff. de usurp. & usucap.* Non obstat, quod dici solet: quod juris est in toto, illud etiam est in quavis ejus parte; cum ergo mater sit furtiva, partus quoque furtivus non esse non potest. Respondeo enim, regulariter id verum esse, non tamen semper, scilicet quando totius & partis diversa est ratio, prout hic est in ancilla furtiva & partu, *secundum alleg. leg. 33. ff. de usurp. & usuc.* Nam lex XII. Tabb. & lex Attilia inhibent usucapionem rerum furtivarum. *§. 2. f. de usucap. & long. temp. prescr.*, & sic hæc leges efficiunt, ut res furtiva sit vitiosa, quod vitium non extenditur ad ea, quæ postea rei furtivæ accedunt, *secundum alleg. Leg. 33.* Nam leges illud vitium introduxerunt ob contrectationem furandi animo factam, quæ contrectatio apud bonæ fidei possessorem non est: & sic intelligenda videtur *l. 1. in fin. ff. de usurp. & usuc.* Quod vero dictum est, si apud bonæ fidei possessorem conceperit ancilla, partum non esse furtivum & usucapi posse, verum est, si tempore concepti & editi partus ignorabat possessor partum furtivum esse; cum enim succedat jure singulari, non succedit in vitia auctoris; quod

quod si autem is ante conceptionem vel nativita-
 tem sciverit vitium matris, usucapere partum non
 potest. *d. l. 33. in pr.*, quæ dicit, bonæ fidei emto-
 rem partum usucapere posse, si apud eum con-
 ceptus & editus eo tempore fuerit, quo furtivam
 esse matrem ejus ignorabat, ergò si eo tempore,
 quo conceptus & editus, sciebat, usucapere eum
 non potest, quia usucapionem inchoaret cum ma-
 la fide, quod fieri non posse, facit *Lex. 48. §. 1. ff.*
de A. R. D. §. 7. f. de usucap. Zoel. in comment.
ad ff. tit. de usurp. & usuc. n. 26. Potior mihi hæc
 videtur ratio, quod sciens ancillam esse furtivam
 & nihilominus detinens partum, novum furtum
 committat. *Hopp. in comment. ad f. ad §. 2. de*
usuc. & long. temp. prescr. Non obstat *l. 44. §. 2. ff.*
de usurp. & usuc., nam illa intelligenda est secun-
 dum distinctionem Pomponii, *in l. 4. ff. pro suo.*
 Scil. si ancillam furtivam emisti bona fide, quod
 ex ea natum apud te conceptum est, ita possedisti,
 ut intra statutum tempus cognosceres matrem esse
 furtivam, sic distinguendum esse, ut si nescieris in-
 tra statutum tempus, cujus id mancipium esset;
 aut si scieris quidem, non tamen potueris do-
 minum certiozem facere, aut si potueris quoque,
 & feceris certiozem, usucaperes. Sin vero cum
 B scires,

scires, & posses, non feceris certiozem, contra esse, tum enim clam possedisse videberis, neq; idem pro suo & clam rem possidere potest, quia contraria non possunt esse simul in eodem subiecto. Gothofr. *in dict. leg.* Neque obstat, quod initio tantum possessionis de iure civ. requiratur bona fides, & superveniens mala fides non officiat, *d. l. 48. §. 1. ff. de A. R. D. l. 4. §. 18. ff. de usurpat. & usucap.* Nam id verum est, quando sola bona fides interrumpitur, non etiam quando causa usucapionis cessat, uti in presenti casu, in quo is, qui pro suo possidere coeperat, ob scientiam supervenientem incipit clam possidere, *Zes. d. loc.* & consequenter furtum novum illius partus facere censetur; qui enim sciens contrectat rem alienam mobilem invito domino, furtum committit. *Hopp. d. l.* Cui non obstat alleg. *l. 44. §. 2.* quia intelligenda est secundum allatam Pomponii distinctionem. Quæ de partu ancillæ dicta sunt, suo modo extenduntur ad partum pecorum. *l. 48. §. 1. ff. de furt.* nam si pecudum prægnantium furtum est factum, vel si pecora apud furem conceperint, & pepererint, partus usucapio locum non invenit, quia partus est furtivus. Quod si vero apud bonæ fidei emtorem foetum ediderint, licet apud furem conceperint, vel prægnantia sint ablata, non idem

idem obtinet, nam tunc partus ad bonæfidei em-
torem pertinet, *d. l. 48. § 6. ff. de furt.* Disparita-
tis vero ratio inter partum ancillæ & partum pecu-
dum in eo consistit, quod ancillæ partus non sit
in fructu, *d. §. 6. & §. 37. f. de R. D.* partus vero
pecudum sint in fructu *d. §. 6. & §. 37. f. alleg. tit.*
atqui, fructus, mox atque perceptus est, ad bonæ-
fidei emtorem pertinet. *§. 35. f. de R. D.*

Th. VI.

Hæc ferè de vitio rerum mobilium. Re-
rum immobilium etiam vitium dari, ut illud earum
usucapioni obstet, docet *§. 2. f. de usuc. & long.*
t. p. Nam si quis fundum alienum invadat, vi de-
jecto possessore, ipse usucapere eum non potest,
ob malam fidem; nec ullus alius, qui illum ab eo
comparaverit, cum vitium violentiæ, quemadmo-
dum & furti, adhæreat rei, & transeat ad quem-
vis etiam bonæ fid. possessorem *d. §. 2. f. d. usuc.*
Ubi tamen requiritur, ut res sit vi possessa, nam
si violentus invalor dejecerit quidem possessorem,
possessionem vero non apprehenderit, sed eam de-
reliquerit vacuam, & alius eam occupaverit, dici
non potest res vi possessa, consequenter bona
fide accipienti nihil obstat, quo minus illam usu-

capere possit. *Zœl. in comment. ad pand. tit. de usurp. & usuc. n. 29.*

Th. VII.

Quod dictum est, usucapionem rerum furtivarum & vi possessarum non procedere, id intelligendum est de ordinario usucapionis tempore. Nam quadraginta annorum spatio etiam has res præscribi, probat *L. omnes. 4. C. de præscript. 30. l. 40. annorum*, adeo ut bonæ fidei possessor tunc verum acquirat dominium & actionem, *Struv. S. J. C. Ex. 43. th. 19. in fin.* Cum enim tanto tempore exspiret actio furti, etiam ipsum vitium furti diutius durare non potest, *Carpz. p. 2. c. 3. d. 16. per legem 4. C. de præscr. 30. l. 40. an. Schneidew. in tit. J. de usuc. n. 65.* Quod tamen ad furem vel alium malæ fidei possessorem applicari nequit. Etsi vero hac ratione dominium rei furtivæ a fure acquiri non possit, exceptionem tamen ipsi ob possessionem hanc temporis longissimi competere *arg. l. 2. C. d. annal. exc. probat Struv. d. Ex 43. th. 22. pr.* Quin & actioni furti ita præscribi posse non dubito, cum illa ad meram poenam tendat. Quod & de conditione furtiva quoad jus Civile dicendum arbitror. Sed jure Canonico, quod in hac præscriptionis materia sequimur, has rei persecutorias actio-

actiones ab ipso fure praescribi non posse, certum est, per *cap. 2. de R. I. in 6. Schneidew. in tit. I. de usucap. n. 65. in fin.* cum fur semper sit in mala fide, malae autem fidei possessorem praescribere non posse, docet allegat. *cap.*

Th. IX.

Hac dicta vero intelligenda sunt, nisi vitium rei adhaerens fuerit purgatum. Purgatur autem si in domini potestatem res fuerit reversa. In potestatem autem domini censetur reversa, si is, vel qui ejus loco est, sciverit reversam, *L. 4. §. 7. ff. de usurp. & usuc.* & sciverit etiam esse suam, sibi que furto surreptam. *Hopp. in comment. ad Inst. §. 6. de usuc. & long. temp. praeser.* Reversa porro dicitur, si ita dominus nactus est possessionem, ut avelli iterum non possit, i. e. eo modo sit apud eum, quo ante fuit. *Zoef. ad pand. tit. de usurp. & usuc. n. 30. Hopp. d. l.* Dicitur est ad dominum rem furtivam debere redire, ut vitium purgetur; hinc si creditori res oppignorata auferatur vel commodatario, non sufficit in potestatem ejus, cui sublata est, reverti; sed in veri domini potestatem redire debet *L. 4. §. 6. ff. de usurp. & usuc.* Et si ipse debitor creditori pignus surripuerit, in potestatem creditoris redire debet. *L. 4. §. 21. ff. de usurp. & usuc.*



L. fin. ff. eod. Quid si tutor pupillo rem surripuerit? tunc necesse est in potestatem redire pupilli, quia tutor non habetur loco domini, quando spoliat pupillum, sed quando administrat. *L. qui fundum § c. 7. §. 3. ff. pro emptore.* Si res immobilis vi possessa fuerit, necesse est, ut in prioris possessoris potestatem revertatur. Schneidew. *ad tit. 6. l. de usuc. § long. temp. prescr. n. 65. in fin.* Quod tamen necesse non est in vi compulsiva, quia hæc vis non afficit rem vitio reali, nec impedit usucapionem, dummodo concurrant alia usucapionis requisita. Ratio differentiae est, quia vis compulsiva voluntatem patientis habet, licet coactam, *L. si mulier. 21. ff. quod metus caa.* vis vero expulsiva nullam præsupponit voluntatem in patiente.

Th. IX.

Ad res quasi vitiosas refero res pupillares, quæ usucapi non possunt. *L. 48. ff. de A. R. D.* adeo, ut usucapio non solum in choari non possit tempore pupillaris ætatis, sed nec coepta currat. *L. 10. ff. quemadmod. seruit. amitt.* Quod si quis rem à pro tutore, etiam cum iudicis decreto, comparaverit, non usucapiet. *L. 4. §. 24. ff. de doli mal. § metus except.* Gothofred. *ad L. 2. ff. de eo qui pro tutore;* quia huic rerum pupilli administratio concessa non fuit,

fuit, *d. L. 4. eod. §.* Non idem dicendum est, si quis à pupillo veri tutoris auctoritate rem emerit, hoc enim casu transfertur verum dominium, licet pupillo laeso detur restitutio in integrum. Sed hoc intelligendum est, si res pupilli propria sit alienata, nam si fuerit aliena, usucapio procedit, non quidem contra pupillum, sed contra dominum, idcirco sufficit ordinarium tempus usucapionis. Porro si verus tutor alienet rem immobilem sine magistratus decreto, prorsus procedere non posse usucapionem in apico est, cum hæc alienatio sit invalida, & emens in bona fide esse nequeat, quia novit vel de jure nosse debet, bonâ pupilli mobilia sine decreto magistratus alienari validè non posse; si vero decretum accesserit, & forte res aliena à pupillo bona fide sit possessa, usucapio ordinario tempore procedit. Itemque si à pupillo sine tutoris auctoritate emerit, putans eum esse puberem, usucapionem dicimus sequi *L. 2. §. 15. ff. pro emptore.* Minorem quod attinet, contra eum nec cœpta, v. g. contra defunctum, cui minor successit, usucapio & longi temporis præscriptio intra ætatem minorem currit, nec inchoari potest. *L. fin. C. in quibus caus. in integr. rest. necess. non est Struv. Synt. I. C. Ex. 43. th. 10.* An contra eum qui in utero est, usucapio
 non
 com-

compleri possit: quæritur, & affirmat Struv. *d. l. per L. 48. de A. R. D. & L. un. C. si advers. usucap.* Verum id potius existimo, per §. 4. *I. de tutor. & L. 26. ff. de statu hom. ubi dicitur, quod ii, qui in utero sunt, habeantur pronatis, quando de commodo eorum agitur.* Nec per restitutionis auxilium sat prospectum illis est, quia præstat potius jura talium intacta servare, quam post vulneratam causam remedium quærere. *L. fin. C. in quibus causis restituit. in integr. nec. non est.*

Th. X.

Huc quoque refero fundum dotalem, qui constante matrimonio usucapi non potest. *arg. pr. l. quibus alien. lic. & L. 16. ff. de fundo dotal.* cum fundi dotalis alienatio sit prohibita, ut adeo usucapi non possit. Quod si tamen quis possideat fundum dotalem bona fide & usucapionem inchoaverit, antequam is ad maritum perveniret, omnino implebit eam, & periculum est mariti, eo quod neglexerit eundem repetere. *d. l. 1.* Actiones enim circa dotem competentes dantur marito, non uxori. Plane si paucissimi dies ad complendam longi temporis possessionem superfuerint, nihil erit, quod imputetur marito, *d. l. 16.* cum ex modico tempore non

non præsumatur negligentia. Goth. in not. ad d. l. 16. Eadem ratio est rerum testamento alienari prohibitarum. L. 2. C. de usuc. pro emt. Item majoratus & fidei commissi familiarum. Quod & obtinet in rebus sub conditione aut die legatis, quarum vindicatio post conditionem impletam aut lapsum diem non debet impediri per usucapionem aut longi temporis præscriptionem. l. 3. §. 3. C. Communia de legat. & hic demum post diem lapsum, aut conditionem impletam curret usucapio l. 7. §. 4. C. de præscript. 30. l. 40. an.

Th. XI.

In favorem quoque fisci ejus res usucapi non posse, facit §. 4. l. de usuc. l. 24. ff. de usurp. Et usuc. in fin. l. 2. C. commun. de usuc. Longissimi tamen temporis præscriptionem, XXX. vel XL. annorum contra fiscum concedit Imperator in L. omnes. 4. C. de præscript. 30. l. 40. ann. sanciens, omnem actionem, quæ decem, viginti vel triginta annis non tollitur, quadraginta annorum curriculum sopiri debere, & nullum jus publicum vel privatum esse, quod non extinguatur quadraginta annorum jugi silentio. Quod & amplius probatur ex l. ult. C. de bonis patrimonial. ubi conceditur præscriptio 40. annorum in fundis patrimonialibus, nec non ex

C

l. 7.

l. 7. C. de fund. rei privat. & salt. div. dom. ubi ita scribunt Imp. neminem temporis sibi met contra nostra commoda praescriptione (excepto vetustatis auxilio) blandiri volumus. De bonis equidem principis privatis, multi sunt, qui id negant; quia tamen publice interest, res principis privatas conservari, non dubito, idem obtinere in bonis principis privatis. Lauterbach. *in compend. ad pand. tit. de usurp. & usuc. pag. 526. & B. Stryck. in not. ad eund.* Si ergo privatis rebus principis conceditur privilegium, ut quadraginta duntaxat annis praescribantur, cur id negaretur fisco, cum pro fisco militet major favor, ex eo enim publica onera ferri debent. Neque hac ratione extenduntur privilegia, contra *leg. 14. ff. de ll. sed tantum ex proximè d. l. ult. & L. 7.* probabilis conjectura capitur de mente legislatoris, quae in supra alleg. *leg. omnes 4. C. de praescript. 30. l. 40. an.* continetur. Non obstat *L. 13. ff. de divers. temporali praescrip.* ubi habetur: in omnibus fisci quaestionibus, exceptis causis, in quibus minora tempora servari specialiter constitutum est, viginti annorum praescriptionem custodiri. Haec enim lex intelligenda est de causis criminalibus, Bechman. *in comment. ad pand. tit. de usurp. & usuc. per leg. quamvis. 18. ff. de usu.*

usucap. Hopp. in comment. ad l. in §. vum 4. tit. de usuc. & long. temp. præscript. Minus obstare possunt L. 10. §. 1. ff. de divers. temp. præscr. L. 1. §. 2. ff. de jure fisci. l. 1. C. de quadrienn. præscr. manifesto namque loquuntur de bonis vacantibus, fisco nunciatis quidem, sed ab eo neglectis, quæ facilius usucapi posse, ipsa nunciationis ratio & fisci negligentia facit.

Th. XII.

Alia ratio est bonorum coronæ, seu domanialium, uti vocantur, quæ sc. ad sustentationem principis à republica sunt destinata, veluti castra, urbes, &c. hæc enim præscribi non possunt, neque præscriptione communi, neque quadraginta annorum, sed ea tantum, quæ est centum annorum, veluti id videtur probari per *l. 23. C. de S. S. eccles.* ubi adversus ecclesias, hospitalia, pias causas, civitates, in his rebus, quæ eis donatæ, testamento relictae, venditæ sunt, non currit præscriptio, nisi centum annorum, adeoque pari ratione in jam dictis rebus eam locum habere dicendum erit. *Zoesl. in comment. ad pand. tit. de usurp. & usuc. n. 23. Crauet. p. 4. de antiquit. temp. n. 38.* Quæ ramen lex quoad ecclesias mutationem passa est per subjectionem authentice *quas actiones, ex Nov. 131. c. 6. desumptam, in qua*

scriptio ista centum annorum ad ecclesiam Romanam restringitur. Ceterum circa hanc Auth. illa difficultas oritur, annon per istam lex quoque antecedens correcta sit quoad civitates, & secundum illos, qui hanc prescriptionem admittunt, quoad bona coronæ? Et correctam eam non esse, communis est DDrum opinio; quia in correctoriis non fit extensio ab uno casuum ad alium, etiam ex majoritate rationis: ergo nec illa authentica corrigens d.l.22. est extendenda ad civitatem. An vero bona coronæ principis competentia ad d.l.32. pertineant, valde dubito, quia illa Lex nec verbo eorum facit mentionem: & quid opus est, ea referre ad illam legem, ut participent de privilegio ecclesiæ, cum aliunde ab usucapione prorsus sint exempta, cum in reipubl. proprietate existant, & quoad usumfructum duntaxat principi cedant, qualia jure digestorum non admittunt usucapionem, per l. 9. ff. de usurpat. & usuc. & æque in commercio non sunt, ac alia publica, ut campus Martius, flumina, forum &c. idcirco etiam alienari nequeunt, per pr. f. de inutil. stipulat. consequenter nec præscribi, nec usucapi, Brunnem. Exerc. 8. ad §. 4. f. de usuc. Immemoriali tamen tempore præscribi posse ista bona, certum videtur, cum negatione prescriptionis verbis
 gene-

ralibus facta, nunquam censeatur negata immemorialis, Carpz. *p.2. c.3. d.25.* Nam secundum commune Doctorum effatum, desumptum ex *cap. 26. preterea X. de v. S.* talis præscriptio vim habet privilegii & specialis concessionis, per quam acquiri posse bona domanialia, dubium non est. add. *t.t. C. ne rei dominic. vel temp. vindic. l. f. C. d. fund. patrimon.* vid. *Vvesenb. conf. 45. n. 22. Riccius. Prax. rer. for. eccl. Resol. 4. n. 1. Christin. IV. decis. 83.* Huc referenda sunt bona, quæ mensæ statuum imperii destinata sunt, nam status in suo territorio sunt instar Imperatoris.

Th. XIII.

An bona feudalia præscribi possint? non una decisione determinari potest ob casuum varietatem. Quatuor namque ferè sunt casus discernendi & singuli distinctè decidendi. Primus est, quando ad quendam fundi possessio bona fide pervenit, & possessor domino directo per longissimum tempus, puta 30. annorum, servitia præstitit, adeoque fundum tanquam feudalem possedit; & hoc casu non est dubium, quin præscribatur utile dominium, in præjudicium domini directi, ut est textus *2. Feud. 26. vers. si quis per 30. annos.* nec dominus directus allegare potest ignorantiam; cum enim in se

perit servitia, ignorantiam prætere nequit, & patientia est loco tituli, adeo ut hoc casu nec tituli, nec investituræ probatione opus sit, quippe quæ ob præscriptionem tricennariam præsumitur. *Struv. S. J. F. cap. 8. apb. n. fin.* Modo etiam heres, si vasallus iste intra 30. annos decesserit, investituram petierit. *Vultej. c. 9. num. 15.* quia requiritur conjunctio possessionis ex parte antecessoris & successoris, alias præscriptio non dicitur completa, si forte prior decessit intra 30. annos. Imo si vasallus allegat investituram, eamque non plenè probat, si per annum stetit in possessione feudi, præscribit illud, & in defectu probationis statur ejus juramento. *Craver. p. 4. de antiquitat. tempor. n. 28.* Secundus casus est, si quis tenuit rem tanquam liberam, non tanquam feudalem, justo titulo & bona fide, ubi iterum quæritur, an dicatur eam præscripsisse in præjudicium domini directi, ut ei non teneatur ad servitia? & hoc casu interest, an dominus sciat quem possidere rem tanquam liberam, & exigat servitia, possessor vero illa deneger bona fide & justo titulo; an vero dominus nesciat nec exigat servitia: priori enim modo intra 30. annos feudum convertitur in allodium, *Stryck. in exam. J. F. c. II. qu. 17.* Altero vero *Cravetta d. l.* inquit, quod

quod durante primo decennio nulla currat præscriptio, possessione sc. civili interim existente apud dominum, sed lapso decennio incipiat currere præscriptio longissimi temporis contra dominum directum, adeoque à tali possessore dominum Feudum auferre non posse, ob negligentiam, quæ ei hoc casu imputatur, & sic possessor dominium directum acquirit. Cui tamen gravissimè ob stare videtur §. *præterea*. 2. *F. 40.* ubi dicitur, quod liceat dominis omnes alienationes feudi, sine ipsorum consensu factas, nulla obstante præscriptione revocare. Respondet vero Gothofred. *in not. ad d. §. præterea* & c. textum allegatum intelligendum esse de præscriptione longi temporis, nō autē de longissima 30. vel 40. annorum, per quam tollitur omnis actio, *L. omnes 4. C. de præscr. 30. l. 40. an.* ut jura juribus concordent & correctio injurium evitetur. Nec enim credendum est Conradum Regem voluisse hoc casu tollere observationem longissimæ præscriptionis, multis vigiliis inventam atque excogitatum, ut in simili inquit Imperator Justin. *L. 35. in. pr. C. de inoff. testam.* Tertius casus est, quando quis rem tenit feudalem tanquam liberam mala fide, sciens eam esse feudalem, & nemo dubitat, hunc possessorem nullo tempore eam præscribere posse, propter malam

lam fidem, secundum *Can. 2. d. R. J. in sexto*. Quartus casus est, si quis possedit bona feudalia longissimo tempore sufficienti ad præscriptionem, contra dominum directum cum titulo & bona fide, auctor autem possidentis, qui vendidit ista bona tanquam libera, præstitit servitia domino, ubi quaeritur, an possidens præscripserit bona feudalia, contra dominum ignorantem illa? & putat Cravetta *di. 7. libr. n. 31.* contra dominum directum non præscribi feudum: nam recipiendo servitia à vasallo venditore semper retinet possessionem civilem, qua durante præscriptio non currit contra ipsum: possessio enim civilis non amittitur, nisi negligentia aut oblivio non recuperantis aut non possidentis accedat *L. 6. §. 1. & l. 8. ff. de Avel. A. P.* negligentia vero non potest imputari domino directo ignorantem alienationem factam per vasallum. arg. *L. 7. §. 21. ff. de Scto. Silan. L. 8. ff. de his qui not. infam.* neque oblivio hic allegari potest, cum dominus semper servitia receperit à vasallo venditore. Hactenus dicta intelligenda sunt non de vasallo ipso, sed de tertio possessore, in quem feudum alienatum est. Quod vero ad ipsum vasallum attinet, is, quoadiu præstat servitia, & ita dominum recognoscit, dominium directum præscribere haud valet: quia
 rem

rem non possidet animo sibi habendi, qualem possessionem, puta, si dominus exegerit servitia debita, sed vassallus contradixerit, bona fide & justo titulo præcedente, & sic non amplius rem ut feudalem, sed ut allodiam possederit, præscribere intra 30. annos potest, Stryck. *in Exam. J. F. c. II. qu. 17.* Si vero dominus non exigat servitia, quia forte illis non opus habebat, vassallus non præscribit, quia causam possessionis sibi ipsi mutare nequit, nisi novum factum intervenerit. Struv. *S. J. cap. 15. tb. 3. n. 5.* Eadem, quæ de feudo dicta sunt, ad emphyteusin quoque & fundum conductum applicari possunt, ob similitudinem rationis, quo & manifeste facit *L. 2. l. 7. §. fin. C. de præscr. 30. l. 40. an.* ex quibus textibus haud obscure probatur, quod nec 30. l. 40. annorum præscriptione colonus vel emphyteuta, quo minus dominum agnoscere ejusque rem restituere teneatur, se defendere possit. Carpz. *p. 2. c. 3. d. 17. cum aliis ab eo allegat.*

Th. XIV.

Hactenus actum est de rebus corporalibus non-præscriptibilibus. Nunc aggredior jura, quæ præscriptione sunt exempta ob defectum possessionis, quale est beneficium ecclesiasticum, nam illud sine canonica institutione acquiri & possideri non

D potest

potest, juxta *cap. 1. de R. J. in sexto*, quo probatur, quod beneficium ecclesiasticum non possit licitè sine institutione canonica obtineri. Zœf. in *comment. ad decret. tit. de præscript. n. 19.* Ob identitatem rationis laici non possunt præscribere jus decimandi *cap. 7. x. de præscr.* cum laici sint incapaces huius juris, & consequenter illud possidere non valeant, *can. 65. causa 16. qu. 1.* quia Deo in recognitionem universalis domini decimæ decenter debentur, *Carpz. p. 2. c. 2. d. 4.* Fructus tamen ex jure decimandi percipiendos præscribi posse, & quidem intra triennium, prorsus non dubito, quia non sunt quid spirituale, sed temporale, adeoque jus canonicum non resistit possidenti. Aliud etiam obtinet in jure immunitatis à decimis præstandis, sicuti enim liber quis à decimis solvendis consuetudine fieri potest, sic & præscriptione, quia hæc autoritate & potestate pares sunt, & deficit etiam hic ratio prohibitionis, nempe incapacitas immunitatis, cujus laicos incapaces esse, nec ex juris pontificii sanctionibus, nec aliunde liquet; quid ergo obstat, quo minus laici libertatem hanc præscribere possint? cum, quod non est prohibitum, censeatur permis- sum, *argum; L. 43. §. 1. ff. de procurat.* Præscriptio vero hæc completur demum 40. annis, cum contra ecclesiam non currat minor præscriptio.

Cum spiritualium laici sint incapaces, quaeritur, an jus patronatus praescribere possint? Videtur, quod non, quia hoc jus est quid spirituale, utpote annexum spirituali, *c. 16. X. de Jur. patron.* quale habetur pro spirituali *L. 43. ff. de R. V.*, accessorium enim sequitur naturam sui principalis. Verum, hoc non obstante, concludo cum Zoefio in *comment. ad decret. tit. 38. n. 8.* posse hoc jus praescribi; licet enim sit spirituale quid, id tamen non impedit praescriptionem, cum possideri & acquiri a laicis possit, ut in vulgus notum est, & patet ex toto *tit. X. de jure patron.* ut ideo incapacitas non obstat praescriptioni. Alienari etiam simpliciter jus illud prohibitum non est; enim vero per titulum gratuitum in alium transferri potest. *cap. 11. X. de jure patron.* & saltem titulo oneroso transferri non permittitur, *cap. 16. eodem*, quid ergo obstat praescriptioni?

Th. XVI.

Illud dubium relinquitur, quanto temporis spatio compleatur haec praescriptio? & existimo cum Zoefio *allegato eod. titulo*, non compleri, nisi tempore immemoriali, si de fundatione aut do-

tatione non liqueat, ne scilicet facile ecclesiastica beneficia in servitutem redigantur, & ita immunitas ecclesie lædatur. Et hæc ita, quatenus non constat, ecclesiam ante fuisse liberam: nam si pateat eam fuisse liberam, nec ab iis, qui jus patronatus sibi arrogat, fundatam aut dotatam, præscriptionem talibus non currere, communis est opinio. Contra laicum patronum facilius ista procedit præscriptio, quia sic non infertur detrimentum ecclesie, cui, cum libera antea non fuerit, non infertur damnum per mutationem Patroni. Quantum vero tempus in hoc casu præscriptioni imputandum? iterum non una omnium est sententia. Aliqui volunt, sufficere tempus decem annorum inter præsentem, viginti inter absentes. Alii annos 40. exigunt cum titulo. Alii 40. quidem annos requirunt, ideo, quod agatur causa ecclesie, titulum tamen non exigunt, quod non tam contra ecclesiam quam contra privatum præscribitur, Covarruv. c. 10. n. 8. Quæ ratio pro prima videtur facere sententia, nec non, quod parum intersit ecclesie, habere hunc vel illum patronum, sed etiam privati agatur causa, ut hinc a tempore quo communiter contra privatum præscribitur, non sit recedendum sine textu, qui hac in re nullus extat. Zæf. d. l.

Th.

Horum classi accensenda sunt etiam illa, quæ in signum eminentiæ & prærogativæ principii sunt reservata, veluti legitimatio spuriorum, impositio vectigalium & pedagiõrum, jus cùdendi monetam, metalla fodiendi, jus collectandi & confiscandi, jus venandi, &c. *Carpz. p. 2. c. 3. d. 24.* quæ præscriptione neque decem neque 30. l. 40. annorum à privatis acquiri possunt, *cap. 26. X. de V. S.* Cum tamen jam ante ex *Carpz.* dixerim, negata præscriptione verbis generalib9 facta, nunquam immemoriam denegatam censerì, hinc negare non possum, in hisce immemoriam præscriptionem locum habere, eo, quod illa vim habeat privilegii & specialis concessionis. *d. cap. 26. X. de V. S.* ubi negatur, civitatem posse inducere consuetudinem percipiendi pedagia, vectigalia &c. quæ non apparent Regum vel Imperatorum largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine à tempore, cuius non extat memoria, introducta, adeoque immemorialis præscriptio æqui paratur speciali concessioni. Distinguendum tamen est inter illa regalia, quæ principi debentur in recognitionem subjectionis & supremæ potestatis, veluti census, tributa, aliæque præstationes, quæ pertinent ad rei publ. administrationem, conservationem, quæve personam ac dignitatem

tatem principis concernunt, quo spectat potestas leges universales condendi, jus circa sacra, & si quæ talia sunt, privatis non communicabilia; & inter regalia, quæ pertinent ad utilitatem, & communicabilia sunt inferioribus; illa enim nullo nec immemoriali tempore præscribi posse videtur, per *L. 6. C. de præscr. 30 l. 40. annorum, Zæf. in comment. ad pand. tit. de usurpat. § usuc. n. 22.* quod Molle-
r. p. 2. c. 2. n. 8. extendit ad tributa & pensiones, quæ principibus Imperii solvuntur, cum hi in suis territoriis sint loco Imperatorum, idemque possint, quod imperator in Imperio. Quin & Carpzovius *p. 2. c. 2. d. 2.* ex identitatis ratione idem asserit de nobilibus aliisque magistratibus inferioribus, quibus tributa & census æque in signum subjectionis solvuntur, eoque refert præstationem laudemii, & reliquos census, vel tributa in recognitionem domini directi solvi solita. Cæterum, quod tributa, census, aliasque præstationes principi pensitari solitas attinet, id ita simpliciter non procedere, sed immunitatem à tributis obtineri posse videtur ex hac ratione, quod immemorialis præscriptio fit loco tituli legitimè constituti *L. 3. §. 4. ff. de aqua quotid. § astiv.* & vim habeat privilegii, & æquiparetur privilegio à principe alicui expresse atque

atque ex certa scientia concessi, Schneidew. *in comment. ad inst. tit. de usuc. & long. temp. præscr. n. 31.* hinc & spatium tanti temporis tantum posse, quantum Imperator, ait Andr. Ifern. *d. l. ab eod. allegat.* Atqui immunitas à tributis, censibus & aliis functionibus publicis per privilegium expresse concessum potest acquiri, ergo etiam per præscriptionem immemoriam.

Th. XIIX.

Sane, quando Regalia contra privatum, cui jam ante vel per præscriptionem immemoriam, vel per specialem concessionem collata sunt, præscribenda, existimo cum Dno. Hop. *in comment. ad Inst. ad §. 4. circ. fin.* non opus esse tempore immemoriam, cum enim tunc non amplius sint regalia, id est, jura in signum eminentiæ principalis competentia, sed privatis quaesita, sufficit ordinarium præscriptionis tempus, quo alia jura præscribuntur, non tamen 10. l. 20. sed quadraginta annorum secundum sæpe dict. *leg. 4. C. de præscr. 30. l. 40. annorum.* Quod tamen in Electoratu Saxonie non procedit in venatione, ubi ad præscribendum jus venandi in alieno fundo requiritur tempus, cuius initii memoria non extat in contrarium, per *ordin. provinc. de anno 1555.* allegatam à Carpz. *p. 2. c. 3. d.*

25.

25. Per hanc enim, licet verbis generalibus sit concepta, non tamen præscriptionem immemoriam, sed etiam longissimi temporis, sc. 30. annorum, excludi, docet Carpz. *l. l.*

Th. XIX.

Huc spectat & illa quæstio, an aliquo temporis cursu jurisdictio acquiri possit? Et per consuetudinem acquiri posse, non est dubitandum, cum ex communi & promiscuo ulu jus tribuatur. Zæf. *in comment. ad pand. tit. de usurp. & usuc. n. 24.* De præscriptione tamen dubitatur. Ast vero certum est, etiam jurisditionem nec non merum & mixtum imperium acquiri posse contra inferiorem aut privatum ordinario præscriptionis tempore, si agatur de territorio acquirendo, cum quo jurisdictio coheret. Sed etiam, si agatur de acquirenda jurisditione citra territorium, præscriptionem 40. annorum obtinere, dicendum, per *leg. 4. C. de præscr. 30. l. 40. annorum*, non obstante *L. ult. C. de præscr. longi temporis*. Contra principem an obtineat præscriptio jurisditionis? variant DDres: receptum tamen est, etiam contra hunc eam obtinere, non tamen nisi temporis immemorialis. Zæf. *in comm. ad pand. alleg. loc.* Solent enim DDres jurisditionem, quatenus est in principe, ad regalia referre, Richter.

p. 3. d. 109. n. 2. in quibus obtinere immemorialis temporis præscriptionem, latis est dictum.

Th. XX.

Cum thesi XVII. mentionem fecerimus præscriptionis annuarum præstationum; hinc alia inter DDres admodum controversa exurgit quæstio, an præscribatur his præstationibus? Distingunt aliqui inter præstationes debitas ex contractu, & debitas ex testamento, dicentes, quod illis præscribatur 30. annis & quidem omnibus una præscriptione, secus in his. Rationem differentiæ assignant, quod in contractibus una tantum sit obligatio, in ultimis vero voluntatibus censeantur plura legata conditionalia, quibus singulis præscribendum est. Goth. *in leg. 7. versu: cuiusque anni. C. d. præscr. 30. vel. 40. ann.* Alii indistincte dicunt, iis tantum præscribi, à quibus elapsi sunt 30 anni; pro quibus liquido facit d. l. 7. §. 6. ita inquires: *in his etiam promissionibus vel legatis vel aliis obligationibus, quæ dationem per singulos annos vel menses aut aliquod singulare tempus continent, tempora memoratarum præscriptionum non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cuiusque anni, vel mensis, vel alterius singularis temporis computari, manifestum est*, vid. ibi Gothofr. qui hanc insinuat rationem, quod singulis annis nova

E

nascat

nascatur actio, non ab initio legati, & tot esse actiones, quod præstationes, consequenter totidem sint præscriptiones, cum cuilibet actioni sua respondeat præscriptio. Atque hæc sententia à plerisque DDribus est approbata, eamque in camera imperiali receptam esse, scribit Mynsing. *centur. 3. observ. 13.* & Gail. *observ. 73. in pr.* Adversa sententiæ patroni opponunt *legem. 26. C. de usur:* quæ inquit: *eos, qui principali actione per exceptionem 30. l. 40. ann. s. personali s. hypothecaria ceciderunt, jubemus, non posse super usuris vel fructibus præteriti temporis aliquam movere quæstionem, dicendo, ex iisdem temporibus eas velle sibi persolvi, quæ non ad 30. l. 40. præteritos annos referruntur, asserendo, singulis annis earum actiones nasci.* Unde inferunt, una præscriptione perimi plurimum usurarum & fructuum obligationes distinctas; ergo etiam annuæ præstationes una præscriptione tolli. Verum ex ipsa lege respondetur, magnam esse disparitatem inter obligationem usurarum atque fructuum plurimum annorum, & inter præstationes annuas: nam fructus & usurae sunt accessorium obligationis principalis, qua sublata accessorium subsistere non posse, tralatitium est, secus est in annuis præstationibus, quæ constituunt principale debitum

svon sinus silugruu bouu, iust. dicit jamausingulis

unusquis

¶

singulis annis novum, independens, & per se stans; adeoque uno horum sublato alterum minime tollitur. Haecenus dicta, quoad legata sat manifesta sunt; quoad annuas praestaciones vero, ex promissione debitas, adhuc dubium superest, ex eo, quod in stipulatione & conventionione una & pura sit stipulatio, & sic obligatio una statim ab initio, ergo & actio; cum ergo actio sit nata ad omnes praestaciones, praescribi illa potest una praescriptione, computanda ex die primae obligationis. Sed respondeo, actionem quidem esse natam, quoad actum primum, non vero quoad actum secundum, adeoque obstare impedimentum juris, quo minus debitum peti possit, ut sic valeat notum illud: non valenti agere non currit praescriptio, *L. 1. §. ult. C. de annal. except.* Imo hanc actionem singulis annis nasci, dici potest *arg. leg. 9. §. 3. de pignoratit. act.* sc. quoad actum secundum. Et de hoc intelligendum puto, quod DDres passim dicunt, singulis annis cedere diem in ejusmodi annuis praestacionibus. Idem juris esse existimo, si alicui certa summa legata sit, sed gratia haeredis in certa tempora distributa, cum ultima ratio eandem decisionem suadeat, ut & *L. 7. §. 4. C. de praeser. 30. l. 40. ann.* Et secundum hanc nostram sententiam Carpz. 1. con-

Conditionum Electoris Augusti explicat p. 2. C. 2.
def. 1.

Th. XIX.

Huic affinis est & illa quæstio: an juri luendi pignus possit præscribi? quæ quidem itidem valde controversa est, aliquibus tenentibus partem affirmativam; ut videre est apud Gail. *L. 2. observ. 18.* Sed verior est sententia, nullo tempore præscribi oblationi debitæ pecuniæ ad pignoris luitionem ejusdemque recuperationem per debitorem, cum hæc oblatio non tam juris sit, quam meræ facultatis, & meri facti, posita in arbitrio debitoris; nunc autem rebus meræ facultatis præscribi non posse, facit *l. 2. ff. de via publ.* & res meri facti exemptæ sunt à præscriptione, quoniam iis, quæ juris sunt, præscribitur, non, quæ facti; cum facta, antequam fiant, non sint, iis autem quæ non sunt, non potest præscribi; atqui luitio pignoris est meri facti. Cujus vicissim ratio hæc est, quod nulla ad luitionem detur actio: certum ergo videtur, luitione pignoris non præscribi, actioni etiam pignoratitiæ præscribi non posse, satis evidens est ex *L. 7. §. 4. C. de præscr. 30. l. 40. annorum*, ubi dicitur, quod, si sub conditione vel ex die certo debeat, non incipiat præscriptio, nisi à die existentis conditionis, l. existente die, ex quo promif-

missum est. Cuius ratio alia esse non potest, quam quod ante conditionis vel diei existentiam efficax actio non detur, adeoque ad efficaciam actionis respiciatur; atqui efficax actio pignoratitia ante solutionem debiti principalis non datur, *L. 9. §. 3. ff. de pignorat. act.* ergo actioni pignoratitiae ante solutionem debiti principalis non potest praescribi; ita Lauterb. in *compendio Jur. ad pand. fol. 238. vers: haec actio* & c. Zoef. in *comment. ad pand. tit. de usurp. & usuc. n. 41.* Carpz. *p. 2. c. 1. d. 3.* qui etiam hanc rationem addit, quod creditor non suo nomine possideat, sed nomine oppignorantis; nunc autem, qui suo nomine non possidet, non praescribit, *L. 25. ff. de usurpat. & usuc. & ibi Gothofr.* Idem cum Mollero alleg. tenet, id verum esse, licet pactum commissorium fuerit adiectum; utroque enim casu eadem subest ratio, ut sic eadem juris dispositio obtinere debeat, *argum. L. 17. ff. de LL.* Quod autem eadem ratio obineat, inde patet: nam cum non possideat creditor suo nomine, haud est in bona fide; ad praescriptionem autem requiritur bona fides: nec pactum commissorium quicquam patrocinari potest praescriptioni, cum illud sit reprobatum iure Civ. *L. fin. C. de pact. pignor.* & iure can. *c. penult. X. de pignor.* Adversatur equidem huic sententiae Struv.

in S. J. C. Ex. 43. ub. 22. in fin. & alii, quorum
 præcipua contradicendi ratio desumitur ex *Lege*
omnes 4. C. de præs. 30. l. 40. an. ubi dicitur,
 nullum jus esse, quod non perimatur quadraginta
 annis, tum etiam ex eo, quod præscribi possit
 juri retrahendi, quando res vendita est sub pa-
 cto de retro vendendo, ergo etiam reuocioni. Sed,
 (quod pace illustris viri dictum sit,) neutra
 ratio sententiæ nostræ obstat, cum allegat. *L. 4.*
 loquatur de actionibus jure competentibus, non
 de his, quæ sunt meræ facultatis, & meri facti. Altera
 vero ratio pertinet ad actiones jam natas; nam
 is, qui vendidit rem sub pacto de retrovendendo
 post certum tempus, lapso tempore consequitur
 efficacem actionem, actionem sc. emti, qua em-
 torem cogere potest ad retrovendendum, tali
 autem actioni præscribi posse, satis constat; in nostro
 vero casu non agitur de jure jam nato, sed demum
 per solutionem debiti nascituro, per quam fit lo-
 cus actioni pignoratitiæ, quam si negligat propo-
 nere debitor, curret ei præscriptio. Quod dictum
 est, creditorem pignus præscribere non posse, id
 ipsum in ejus herede quoque obtinet, quia heres
 non possidet alio jure, quam quo defunctus pos-
 sidebat, cum in universum ejus jus succedat. *L. 24. ff. de*
V.

V.S. Et haec ratio obtinet, siue is uti velit accessione temporum, quibus defunctus fuit in possessione, siue non.

Th. XXII.

Porro rebus merae facultatis nullo unquam tempore, ne quidem immemoriali, praescribi potest, quia illarum nulla possessio est quaesita illi, qui praescribere intendit. Ratio rationis est, quia res merae facultatis in mero facto consistunt, facta autem tum demum existunt, cum fiunt, & dum fiunt, transeunt, & sic non habent aliquod Esse stabile, nec earum datur possessio; certum autem est, illi praescribi duntaxat posse, quod Esse aliquod stabile habet, & in iure permanente consistit, & cuius datur possessio, nam sine possessione praescriptio non procedit. *cap. 3. d. R. J. in sexto*, & praescriptio inducta est, ad jus aliquod praexistens perimendum, ne durante semper tali iure respubl. impleatur litibus, contra publicam utilitatem. Licet vero ex praemissis satis appareat, quae sint res merae facultatis, maioris tamen diluciditatis gratia placet descriptionem a B. Dno Struv. exhibitam in *S. J. C. exerc. 43. th. 22.* addere, quando ait: res merae facultatis esse actus a mero arbitrio dependentes, & ex libertate naturali, vel gentium, universitatisque iure communes



munēs, quorum proinde omiſſio exercitiumque
 alteri nullum jus tribuit, & exercenti omittentive
 non præjudicat. Exempla exhibent *L. 2. ff. de viâ publ.
 reſc.* veluti, ire per viam publicam, viam publicam
 reficere: *L. 2. §. 9. ſi quid in loc. publ.* feneltram facere,
 aut quidvis aliud aedificare in ſuo *L. 24. de ſerv.
 urb. Præd L. 8. l. 9. C. de ſerv. & aqu. L. 8. §. 5. ff. ſi
 ſervit. vind.* Alia exempla occurrunt in libertati mo-
 lendi, pinſendi, emendi cereviſiam, ubi quis velit.
 Tunc demum vero illa mera facultas, & illud libe-
 rum arbitrium reſtringitur, quando alius quiſpiam
 actum talem prohibet, per quam prohibitionem
 in quaſi poſſeſſione conſtituitur, ſi prohibitus ac-
 quieſcat prohibitionē. Et hinc apparet, quod,
 licet centum annis & tanto tempore, cuius initii
 memoria non extat in contrarium, incolae pagi
 cujuſdam ad cerrum molendinum accedere con-
 ſueverint, ſi non apparet, prohibitionem interve-
 niſſe, ne ad aliud accedant, & ſic quaſi poſſeſſio con-
 traria non probatur, illi, cujuſ molendinum eſt, nul-
 lum jus ſit quaſitum, vi cujuſ is adſtringere poſſit
 pagi incolas, ut ad ſuum molendinum accedant.
 Si vero prohibitus morem geſſerit prohibitioni, per
 longiſſimum tempus alteri acquiritur jus. *Struv. d.*
¶ Nec opus eſt, prohibitionem ſæpius repeti, dum-
 modo

modo adversus semel factam prohibitus nihil au-
 deat, tentet, vel opponat. *l. ult. quemadm. serv. amit.*
 Huc pertinent servitutes negativæ, veluti altius
 non tollendi, ne luminibus vel prospectui officia-
 tur &c. in quibus sine prohibitione non acquiri-
 tur quasi possessio, consequenter nec procedit usu-
 capio; sed unico actu prohibitivo interveniente
 cum alterius acquiescentia, prohibens constituitur
 in quasi possessione & conditione usucapiendi.
Schneidew. in comment. ad Inst. §. ult. de servit.
Carpz p. 2. c. 4. d. 13. Vnde si domus vicini mei
 per centum vel mille annos fuerit depressa vel col-
 lapsa, non propterea illa debet mihi servitutem al-
 tius non tollendi, neque illam præscripsi, quia
 non fui in quasi possessione istius servitutis. Ab
 actibus istiusmodi meræ facultatis differunt illi,
 quibus jus aliquod est acquirendum, qualis est
 hæreditatis aditio, vel jus ex peculiari jure compe-
 tens, v. g. servitus vel jurisdictio. Prioris gê-
 neris omisso per tempus legitimum jus tribuit pos-
 sidenti, & sic ille, qui pro herede possidet, per
 30. annorum spatium jus acquirit in hereditate,
 ut illud ab eo avocari non possit: cum enim he-
 reditatis petitio præscribatur, hæreditatis aditio di-
 utius durare non potest. Quomodo enim here-
 ditatis adiri poterit, si nec peti amplius possit? Cir-
 ca po-

ca posterioris generis res distinguendum est inter servitutes urbanas & rusticas: urbanae non praescribuntur, nisi posito actu contrario, licet longissimo tempore quis illis usus non sit, sic servituti tigni immittendi non praescribitur, nisi facta obstructione foraminis, in quo tignum erat immittendum, *l. 6. l. 7. l. 32. §. 1. ff. de S. P. V.* In servitutibus rusticis sufficit solus non usus, v. g. in servitute itineris. *l. 18. §. 2. ff. eod.*

Th. XXIII.

Ad res merae facultatis refero jus compascui sive communionem pascendi inter vicinos, die *Ruppelweide*; idcirco huic praescribi non posse, consequitur. Vbi tamen jus pascendi bene distinguendum est à jure mutui compascui: illud enim in jure quodam in alterius fundo acquisito consistit, *§. 2. f. de servit.* vi cujus in vicini fundo campis apertis, zu offenen Zeiten / pecora pascere licet, & hoc jus stabile est, nec revocabile pro arbitrio domini fundi servientis. Hoc verò non consistit in tali jure, sed tantum ex familiaritate conceditur, & mutua complacentia, unde ab uno revocari pro lubitu, nec unquam praescribi potest. *Lauterb. in comp. ad ad pand. tit. de serv. p. 1. Carpz. p. 2. c. 41. d. 9.* Cujus ratio in eo consistit, quod sit mutuum quoddam precarium, in quo neuter possidet

fidet animo sibi habendi tale jus : ad omnem autem præscriptionem requiritur possessio vel quasi, animo sibi habendi & suo jure. Longè secus est, sic compascuum jure mutæ servitutis constitutum sit, nam tunc ab uno invito altero id revocari nequit. *Mev. p. 5. def. 251.* licet precibus impetratum sit. Quod si tamen alter sociorum revocaverit compascuum & prohibuerit, & alter prohibitioni non parens, nihilominus utatur compascuo tanquam jure sibi competente, accedente patientia & acquiescentia domini & bona fide, dum v. g. prohibitus putat, aliàs sibi competiisse compascuum jure servitutis, præscriptio locum sibi vindicat; & hoc casu scientia & patientia domini est loco tituli.

Th. XXIV.

Quærere hic adhuc lubet, an homicidio intra viginti annorum curricula præscribi possit? *Schneidew. in comment. ad Inst. rubr. viginti annorum præscriptio, tit. de usuc. § L. t. præscr.* inquit, Doctores id asserere, & tenet id *Hoppius ad tit. Inst. de perpet. & temporal. action.* provocans ad *L. 12. C. ad L. Cornel. de fals.* quæ dicit, quod quærela falsi temporalibus præscriptionibus non excludatur, nisi 20. annorum exceptione, sicut cætera ferè crimina. Verum cum omnium, quantum scio, consensu, poena homicidii jure divino sit constituta,

tuta, *Genes. c. 9.* nescio, qua ratione id asseri possit, cum præscriptio introducta sit jure humano, per jus autem humanum juri divino derogari non posse, plus quam manifestum est, & consequenter præscriptio nulla currit, quod tenet Panorm. *in cap. statuimus, 2. n. 7. X. de transactionibus*, per *cap. fin. X. eod. & alii.* Paucis ergo concludo homicidii poenam per præscriptionem quancunque temporis neutiqum excludi, præsertim quia jus aggratiandi in hoc delicto à *DDbus* passim principibus denegetur. Ad oppositam *Legem 12.* respondeo, ex ejus verbis generalibus nihil concludi, cum pertineant ad ea delicta, quibus jure humano pœna est constituta, quod videtur insinuari in ipsa lege, dum adjicit particulam *ferè*, quæ quædam crimina excludit, interque illa homicidium.

Th. XXV.

Hæc dicta hac de materia sufficient: multo amplius eandem deducere potuissimus, sed ne disertationis modum egrediamur, subsistimus, benevolum lectorem enixè rogantes, ut hæc pauca æqvo animo accipiat. De cætero Deo *T. O. M.* uniuersos nostros labores, qua possumus animi submissione, consecramus.

F I N I S.

00 A 6444

ULB Halle 3
002 928 752



So.

R
WA







DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA ⁵
DE
**NON-PRÆSCRIP-
TIBILIBVS**

QVAM
DIVINA ANNVENTE GRATIA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, JULIACI, CLIVIAE AC MONTIVM, ANGA-
RIÆ VVESTPHALIAEQVE ET RELIQA

Ex decreto & Auctoritate Illustris Fctorum ordinis

IN HAC ALMA SALANA

PRÆSIDE

CHRISTIANO VVILDVOGELIO

JCTO, CONSVMMATISSIMO,
CONSILIARIO SAXO-ISENACENSI INTIMO, CVRIÆ PROVIN-
CIALIS ET SCABINATVS NEC NON FACVLT. JURID. AS-
SESSORE GRAVISSIMO, JURIS PVBL. FEVD. ITEMQVE
COD. ET NOV. PROFESSORE ORD.

H. T. PRORECTORE MAGNIFICO

Patrono ac Promotore submissee venerando

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure honores capeffendi
placida eruditorum disquisitioni
submittit

D. APR. A. C. M DCC XI
FRIEDR. PAVL. VVACHLER. Gothan.

JENAE, TYPIS MVLLERIANIS.

